



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1605

Epist. CIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

EPIST. CIII.

MALITIA & insidie inter se hominum. Tu tamen non eadem facito, aut repone: sed mitis in omnes & volens esto.

QUID ista circumpicis, quæ tibi possunt fortasse euenire, sed possunt & non euenire? incendium dico, ruinam, aliaque, quæ nobis incidunt, non insidiantur: illa potius vide, illa deuota, quæ nos obseruant, quæ captant. ² Rari sunt casus, etiam si graues, naufragium facere, vehiculo euertere: ³ ab homine homini quotidianum periculum. Aduersus hoc te expedi, hoc intentis oculis intueri. Nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempestas minatur, antequam surgat: crepant ædificia, antequam corruant: prænunciat fumus incendium: subita est ex homine pernicies, & eò diligentius tegitur, quò propius accedit. Erras, si istorum tibi qui occurrunt vultibus credis, ⁴ hominum effigies habent, animos ferarum: nisi quòd illarum perniciosior est ⁵ primus incursus, quos transire non queunt. Numquam enim illas ad nocendum nisi necessitas inigit: aut fame, aut timore coguntur ad pugnam: homini perdere hominem libet. Tu tamen ita cogita, quod ex homine periculum sit: vt cogites, quod sit hominis officium. Alterum intueri, ne lædaris; alterum, ne lædas. Commodis omnium lateris, mouearis incommodis: & memineris quæ præstare debeas, quæ cauere. Sic viuendo quid consequeris? non, vt ne noceant, sed, ne fallant. Quantum autem potes, in philosophiam secede. ⁶ illa te sinu suo proteget: in huius sacrario eris aut tutus, aut tutior. Non arietant inter se, nisi in eodem ambulantes. ⁷ Quod autem ipsam philosophiam, non debebis iactare. multis fuit periculi causa, insolenter tractata, & contumaciter. Virtia tibi detrahat, non alij exprobrat: ⁸ non abhorreat à publicis moribus; nec hoc agat, vt quidquid non facit, damnare videatur. Licet sapere sine pompâ, sine inuidiâ. B

EPIST. CIII. 1. QUID ISTA CIRCUMSPICIS.] Sunt qui laciniam superioris epistolæ pudent, eiq; annectendam. Non idem ego.

2. RARI SVNT CASVS.] Veteres, Pares sunt casus: Pincianus editum illud restituit, puto verè.

3. AB HOMINE HOMINI.] Nota in Plauto *parasma*: Homo homini lupus. Et asides illud *Anacharsidis Scytha*, qui interrogatus, τίςτι τὸ πολέμιον ἀνθρώποις; Αὐτοὶ, ἔφη, ἑαυτοῖς: Quid hominibus maximè infestum esset? Ipsi, inquit, sibipis.

4. HOMINVM EFFIGIES, ANIMOS FERARVM.] Prorsus idem *Lycurgus*, poeta vetus: Φεῦ, ποῶς ποιητὸν ἐστὶν ἀνθρώπων φύσις τὸ σίνολον. ἢ γὰρ ἀν' αὐτῶν ἐδέθη νόμος. Οἷον τι τῶν ἄλλων διαφέρειν θηρίων Ἀνθρώπων; ἢ δὲ μικρόν, ἀλλὰ σχήματι. Πλάγ' ἐστὶ τὰλλα, τὸτο δ' ὄρθρον θηρίων: Heu quàm mala, atque deprauata prorsus est, Natura nostra! neque aliter lege erat opus.

Putasne tu interesse inter hominem, & feram? Nec paullulum; nisi in figurâ corporis.

Curuantur alia; in ambulat recta hæc fera.

Sed & *Epietetus* distinet, quosdam hominum lupis similes esse, infidos, insidiatores, noxios; alios leonibus, agrestes, feroces, immanes; plerosque vulpeculis, detractores & fraudulentos. Vide I. *Dissert. cap. III.*

5. PRIMVS INCVRSVS, QVOS.] Legerim, primis. Qui primi se dant obuios, nec fuga locum relinquunt, nocent.

6. ILLA TE SINV SVO.] Libri prisca, visu suo, vel, visu: atque illud est ab *Erasmo*, tamen probum, nisi quis veller, vi sua. D

7. QVOD AVTEM IPSAM.] Sic antiqua lectio, vel *Quid. Fortè*: Quod atinet ipsam.

8. NON ABHORREAT A PVBLICIS MOR.] Tale *Ciceronis* inter fragmenta, ad *Marcum filium*: Philosophiæ quidem præcepta noscenda, viuendum autem ciuilitate.

EPIST.